

collectionibus pauca specimina heic offero, plura, quæ in duplo mihi non sunt, delineata et descripta mitto, quæ si Tibi arrideant, reliqua cum tempore dabo. Vidi hesterno die insecta ex America Dno. Spenglero oblata, inter quæ nonnulla haud antea descripta observavi, quæ selegi a reliquis, ut Tibi offerret possessor una cum conchis quibusdam rarioribus c: g: Donacem apertura inter nates transversa, semilunari, Bullam Lignariæ persimilem. Quæ omnia hac occasione spero fore, ut Tibi offerat. Conaminibus meis fave; me semper deprehendes

Tanti Nominis

observantissimum cultorem.

Dabam in Collegio Elersiano

d. 25. Octobris 1764.

P. S. Ignoscas Vir Generose! quæ ob angustiam temporis hac vice in scribendo irrepserint vitia. Entomologiam meam valde castigatam invenies in actis Lipsiensibus, errores autem veri ibi sunt præteriti, falsi suscepti. Prodiit heic Fauna Friderichsdalina continens insecta ibi lecta una cum convenientia Systematum Tui et Dni. Geofroi. Insecta nova ibi descripta sunt 117, sed de plurimis dubitandum, citationes deprehendi falsas circa nova, nec convenientia Systematum accurata.

[I Brevet er indlagt et Exemplar af »Anhang til de Kjøbenhavnske Nye Tidender om Lærde Sager« Nr. 41, hvori findes Brünnichs Svar paa den i foregaaende Nr. efter »Leipziger Neue Zeitungen von gelehrten Sachen« Nr. LXXV, 1764 oversatte Kritik af Brünnichs Entomologie.]

(42) Viro Perillustri et Generoso

Equiti Dno Carolo von Linné

S. pl. d.

Mart: Thrane Brünnichius.

Literas Tuas favoris maximi insigne documentum rite accepi, pro quibus et omni Tanti Maecenatis favore atque